




Copia in hoc volumine complura
 Briefe von Carl v. Saxe-Meiningen m. 82. m. 46. d. 1798.
 Briefe von Elisabeth m. 28. m. 1798.
 Briefe von Wolfm. v. Saxe-Meiningen m. 39. m. 1798.
 Carmina Gratulatoria in natale Joh. Georgii P. A.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von Eva m. 1798.
 Briefe von Maria & Susanna m. 1798.
 Briefe von Johanna Sophia m. 1798.
 Briefe von Johanna Sophia m. 1798.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von D. Johann m. 1798.
 Briefe von Johanna Sophia m. 1798.
 Briefe von Maria von Lamb. Johannes Philippus Meyer.
 Briefe von Jacob Cohen D.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von Lisa Christiane m. 1798.
 Briefe von P. Tiberius Hoffmann.
 Briefe von Hans Stange m. 1798.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.
 Briefe von Johann Georg m. 1798.

Nee II



ELEGIA

AD ILLVSTRISSI-
 MVM PRINCIPEM AC DO-
 MINVM, DOMINVM BERNHAR-
 TVM, Principem Anhaltinum, Comitem Ascanie,
 Dominumq; Serueſta & Bernburgi, mæſtum pro-
 pter primogeniti FRANCISCI GE-
 ORGII, pie memoria, Princi-
 pis Anhaltini
 obitum.



VVITEBERGÆ

Excudebatur à Iohanne Schwertelio.

ANNO M. D. LXVIII.



ELEGIA.

Noxia cūm video Princeps tua membra marasmo,
Cumq̄, ferit lentus saucia corda fluor,
Et tua Penelope premit altum corde dolorem,
Et geminat fido pectore vota socrus,
Vniscus heu quoties frater suspiria promit
Anxia, quæ socios condoluisse iubent:
Hac quoties animo Princeps Bernharde recordor,
Dissimulo vultu tristia multa meo.
Nec mala sufficiunt, crudescunt pectora planctu,
Dum cruciat prolis membra tenella dolor.
Dumq̄, vides sobolis fieri immedicabile damnum,
Dum cadit vnigenus filius ante patrem.
Hic, sine mente, dolor penetrat mihi pectus in imum,
Et requiem cordi non sinit esse meo.
Siccine destitui populum rectore petito,
Siccine patrono templa, scholasq̄, suo?
Tantane persolui violento munera fato?
Munera quæ in terris reddere nemo valet?
Scilicet aduersam metuendi incurrimus iram
Numinis, heu quantum nos premit ira Dei.
Profundunt alij lacrymas, ego sentio nullas,
Vox fugit, horrescunt ossa, rigantq̄, comæ.
Ut tibi siccabat cerebrum Psammetyche mæror,
Cum caderet vultu lacryma nulla tuo.
Namq̄, pium pectus lacrymis maiora fouebat
Vulnera, quæ fletu prodere nemo potest.
Scilicet alterutro priuatus lumine, lumen
Quod superest, magna sedulitate colit.
Vnica spes multis fueras Francisce Georgi,
Non soror vlla tibi, non tibi frater erat.

Vnica

Vnica lux auia, solamen vtrig. parentum,
Et patria, & gentis spes bona solus eras.
Hinc dolor, hinc lacryma, iubet hac lugere parentes
Cum patria pietas, fata, dolore nouo.
Hinc velut inflixo turbatum vulnere membrum
Et dolet, & corpus contremuisse facit.
Ac nisi tempus edax consumat vulneris aestum,
Officium frustra garrula lingua sonat.
Sic dolor iste recens medicantes respuit herbas,
Nulla capit lingua dulcia dicta stupor.
Sed surdas feriunt aures solamina frustra,
Et penetrat sterilis pectora nulla sonus.
Sed bonitas Domini prestat tibi munera Princeps
Plurima, & in damnis officiosa venit,
Marcida perfundens caelesti pectora rore,
Viuat ut in fragili corpore firma fides,
Erigit hac lassos, iimidis solatia prestat,
Labe sua oppressos scit releuare tamen.
Cuncta fides tolerat, qua sunt toleranda, nec vlllo
Frangitur, hac cuncto robore maius habet.
Hac superat mortis rabiem, mala damna, Deosq.,
Et titubat nullo pondere victa fides.
Nec fidei tantum vana est persuasio nomen,
Est summi virtus immediata Dei.
Ergo Deum quaecunq. solent mala vincere damna,
Hec eadem possunt vincere damna fidem.
Nititur ista sacri firmo fundamine verbi,
Inq. suo gaudet mens sine labe Deo.
Crimine quisq. suo miser est, sua vulnera cuiq.,
Cuncta piare potest crimina, sola fides.
Non quod sola fides praestet bonitate: sed vltro
Dante Deo, carpit munera sola fides.

*Fida comes fidei semper mens conscia recti est,
Sollicito numerans pectore iussa Dei.
Et sine labe tibi Princeps, mens conscia recti est,
Sollicito tentas pectore quidquid agis.
Prostrarunt Medici primum tua vota supremi
Ante pedes sobolis languida membra tua.
Iunxisti precibus Medicorum dogmata: tutus
Esse bonum quidquid iusserit esse Deus.
Contentus sacra vota Deo, & suspiria plebis
Ardua, presenti grata fuisse Deo.
Nec dubitans tua vota vagas penetrasse per auras,
Atq; tui planctu cor tetigisse Dei.
Quippe Dei gnatus rogitantum pectora mouit,
Ipse sacros gemitus protulit ante Deum.
Quodq; alijs mandauit, idem quoq; prestitit idem,
Soluic & ipse suo vota precesq; Patri.
Namq; tribus presens, presens solet esse duobus,
Ipse facit fieri, quod videt esse bonum.
Vnde quod esse bonum Dominus cognouit, id ipsum
Contigit, idq; boni mandat habere locum.
Absq; Deo bona si qua petis, bona si qua tenebis,
Crede mihi, tandem maxima damna dabunt.
Cumq; Deo mala si qua feres, mala si qua nocebunt,
Damna tibi venient non sine fruge sua.
Amphisbena biceps nihil est nisi triste venenum,
Et tamen hec docta fit medicina manu.
Ergo fruare tuo luctu, nec inutile credas,
Miscuit antidotum quod manus ipsa Dei.
Ergo fruare tuo Princeps ceu munere luctu,
Munere quod dixit vel Deus ipse bonum.
Verbo crede Dei, sacras presentis ad undas,
Verba Dei nunquam nuncia vana docent.*

Ecce

Ecce tuam sobolem perhibent sacra numina iustam,
Ecce suo lotam sanguine Christus ait.
Iustorum superesse animas sine tormine certum est,
Viuerē & in Domini viuificante manu.
Quod si verba Dei, miseros si numina fallunt,
Dixeris in mundo non superesse Deum
Numina sunt fraudes, fallendi regula cultus,
Vanus est ipsa religione nihil.
Flamina mentitur Romanus stellio flammis
Purgari, ut loculos expleat are suos.
Callida (non animas) purgant indulta crumenas
Nauiget Anticyras Roma superba dolis.
Sollicitam sequitur mentem mitissime Princeps
Spes etiam, dubijs spes medicina malis.
Illa docet sanctis quondam sperata Prophetis
Esse rata, & fidei premia magna pie.
Vtq; fides statuit iustorum flamina sursum
Viuerē, & in Domini iam recubare sinu.
Sic pia spes tibi monstrat iter quod deniq; cures,
Per mortem ad superos omnibus vna via est.
Illa pijs optata via est, ceu carcere fado
Eruitur, si quem currere fata iubent.
Vita quid est hominum? tantum expectatio vite est,
Clauditur hac tandem funere vita breuis.
Interea exagitant miseros monstra horrida viuos,
Peccatum, Sathanas, tristeq; mortis opus.
Impietas, furia, flammaram incendia, fraudes,
Sacra fames, liuor, cumq; labore dolor.
Vt fera que celeri pede per vaga compita pulsa
Labitur in senos undiq; cincta canes.
Flamina iustorum tantis vexata periclis
Eripit ex tristi corpore cura Dei.

Ac veluti gemmas robusto claudimus are,
Flamina iustorum vult latuisse Deus.
Quod latet in Domini gremioq̄, manuq̄, sinuq̄,
Hoc latet in dubio tutius orbe nihil.
Nec latet ut pereat, latet ut post fata resurgat,
Cumq̄ suo coeat corpore flamen idem.
Nec pia suscepat iustorum flamina tantum
Cura Dei, partem curat utramq̄, Deus.
Hosce pilos, dentesq̄, unguesq̄, pedesq̄, manusq̄,
Quae tristi tumulto cunq̄, receptat humus.
Nec tua conuenient futuris ossa alienis,
Nec carnem agnoscent membra aliena meam.
Et modo viuaces qui spiritus hos regit artus,
Idem etiam hos artus spiritus inde reget.
Ut tua gnate Dei producti membra sepulchro,
Sic mea gaudebit corpore vita meo.
Sic mea, non aliena Deum mihi lumina cernent,
Sic mea gaudebunt ossa decore meo.
Si qua fuere situ deformia, languida, monstra,
Integer absq̄, omni labe redibit homo.
Integer atq̄, ipso melioris flore iuuenta,
Nescia morborum vita perennis erit.
Semina sic sterili mandantur mortua terra,
Semina sed larga fruge refundit humus.
Nec venit ex nihilo viridanti gramine sylua,
Sed venit ex ipso semine lata seges.
Utq̄, seges vario sata semina vincit amictu,
Et monstrat domino centupla grana suo:
Sic tua que centum vicibus subiecta iacebat
Ex tumulto referet centupla dona caro.
Et tua Christe caro magnum moderatur Olympum,
Exaltata noua gaudia sortis habens.

Et

*Et caro seruatorum Domini, ceu lumina caeli
Fulgebit vario munere lata Dei.
Non mens, non oculus, non sensit gaudia pectus,
Quae Domini tandem pignora sancta manent.
Tunc erit ipse Deus vita, & perfectio summa,
Nosq; erimus trino templa sacrata Deo.
Gratulor ergo tuae soboli caelestia regna,
Gratulor & fidei munera digna tuae.
Namq; tuam sobolem, Princeps, tua semina fatum
Atq; animae radium vexit in astra tuae.
Quae praemissa vides ea non amissa putabis,
Sunt praemissa suo nec peritura Deo.
Funera sanctorum fatuis ploranda memento
Numina cum socient fata per ipsa polo.
Vnde tuum vincas Princeps mitissime luctum,
Vnde tuum discas ferre ferendo malum.
Si male fers, assuesce, malum lenire vetustas
Nouerit, & tandem fit medicina dies.
Consilium tandem Domini tua lumina cernent,
Et tua gaudebunt pectora morte tui.
Suspice, caelorum flammis, terraeq; tremorem,
Bella, famem, pestes, signa tremenda Dei,
Nec sint signa nihil, risum cohibete Cyclopes,
Iratum signant horrida signa Deum.
Aut ruet, atq; breui flagrabit machina mundi,
Aut hominum in peius vita subinde ruet.
Hinc velut attonitas seua ante incendia matres
Infirmae sobolis maxima cura premit:
(Vidi ego precipites urgere pericula natos
Quos potuit mundo sola beare fuga)
Sic rapit ex tumido sanctos diuina potestas,
Sic rapit ex cunis dextera saepe Dei.*

Stultie,

*Stulte, quid est mundus pregnans nisi lerna malorum,
Numinis & fœdi fœda cloaca sui?
Inunc & frustra sanctorum funera plora,
Et plora ut prodas pectora cassa fide.
Qualia gentiles iusto solamine cassa,
Qualia circumfert pectora mundus iners.
Tu Bernharde decus patrie, fortissime princeps
Fide Deo, pietas premia magna parit.
Mundus amat tenebras, ira atq. calumnia regnat,
Vive Deo, mundum despice, disce mori.*

T. Celsit.

deditisß.

Abrahamus Vlrich.



Wh 87

(7.)

ULB Halle

3

001 548 603




TA 200

10A







8

ELEGIA
AD ILLVSTRISSI-
MVM PRINCIPEM AC DO-
MINVM, DOMINVM BERNHAR-
TVM, Principem Anhaltinum, Comitem Ascania,
Dominumq^s Seruesta & Bernburgi, mæstum pro-
pter primogeniti FRANCISCI GE-
ORGII, pie memoriae, Princi-
pis Anhaltini
obitum.



WVITBERGÆ
Excudebatur à Iohanne Schwertelio.
ANNO M. D. LXVIII.

